



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

2. Cui sit similis inuidus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

scunt, & de malis atque incommodis aliorum gaudent: vnde optat Seneca, inquit: Vtinam inuidi in omnibus ciuitatibus aures & oculos haberent, vt de singulorum prosperitatibus ac honoribus torqueretur &c. Contra hoc vitium Christus & tota scriptura vbique inculcat charitatem proximi, quæ charitas est quasi vita spiritualis, qua coram Deo viuimus, 1. Ioan. tertio. Nos scimus quia translati sumus de morte ad vitam, si diligimus fratres. Qui non diligit, adhuc est in morte, id est, nondum venit ad vitam, qua in fauore & gratia Dei viuimus: nam in illo est efficax vita æterna, quam Christus nobis meruit, & amplius prædicat de dilectione contra odium, inquit: Omnis inuidus animam suam occidit per odium, eò quòd manebit in æterna morte. Ideò dicit Apostolus, Et scitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem. Tertio prædicat Euangelista contra inuidiam, 1. Ioannis 4. inquit: Si quis dicit quoniam diligo Deum & fratrem suum odit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere? & hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum: hæc omnia Apostolus contra odium & inuidiam.

Secundo, similis est inuidia in homine vermi in ligno, rubigini in ferro, & tineæ in vestimento. nam ista sicut rodunt proprium subiectum, & consumunt illud priusquam alia: ita inuidia rodit ipsum inuidum, & plus inuidus nocet sibi ipsi, quam alijs. Prouerb. 14. Vita carnis, sanitas cordis: putredo ossium, inuidia. Habet quoque inuidia triplex signum: pallefcit enim facies, quando intuetur quem odit: deinde oculos, deprimit, nec audet illum in faciem adipicere: Tertio, dentes ex cõpressionè sæpè strident, & membra exteriora frigesunt. Sic ad prædicationem S. Stephani Iudæi dissecabantur cordibus suis, & stridebant

debant dentibus in eum. His ergò signis cognoscitur inuidia, quam gentilis poeta pulchrè describit, cùm inquit:

*Liur tabificum malis venenum,
Intactis vorat ossibus medullas,
Et totum bibit artubus cruorem:
Ut debet sibi pœna semper ipse est.
Testatur gemitu graues dolores:
Suspirat, gemit, incutitq; dentes,
Pallor terribilis genas colorat,
Infelix macies renudat ossa, &c.*

Christus autem dicit Ioan. 13. In hoc cognoscent homines quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad inuicem. Tristitia igitur alienæ fœlicitatis, & gaudium de alieno periculo, intelligitur de bonis & pijs hominibus, quandò dolent de impiorum exaltatione: fortuna enim quod dignis adimit, transfert ad impios, & hanc tristitiam nò condemnat scriptura, 1. Machab. 2. Matathias fuit plurimùm contristatus de prosperitate & exaltatione Regis Antiochi, & Psal. 57. Lætabitur iustus cùm viderit vindictam impiorum, & Psalm. 106. Videbunt recti, & lætabuntur, & omnis iniquitas oppilabit os suum. Sic sæpè gauisi sunt Christiani sine amissione charitatis de morte Tyrannorū, quia talis interitus erat augmentatio fidei atque religionis, & ne tot scandala fierent per malos & crudeles tyrannos, quemadmodum tradit tripartita histor. temporibus Arrij contigisse.

Tertiò, grauiissima damna inuidiæ recenset scriptura, ideò maximè fugienda: Primò, inuidus non est Dei filius, nec cognoscit Deum, neq; in Deo manet: & qui Deum non habet, nec cognoscit, quem alium habet, nisi Sathanam? Hoc probatur 1. Ioan. quarto.

NN Qui